


05

A

592





I. N. J.
DISPUTATIO THEOLOGICA
DE
PECCATO VE-
NIALI ET MORTALI,

QVAM
PRÆSIDE
VIRO MAXIME REVERENDO, MAGNIFICO
AMPLISSIMO, ATQVE EXCELLENTISSIMO,
DN. JOH. DEUTSMANNO,
S.S. THEOL. DOCT. EJUSDEMQUE IN
CELEBERRIMA HAC LEUCOREA PROF. PUBL.
CELEBERRIMO, ELECTORALIUM ALUMNO-
RUM EPHORO GRAVISSIMO,

*DNO. Patrono, Præceptore, Studiorumq; suorum Pro-
motore, omni observantia etatem deve-
nerando,*

Die 20. Jun. A. C. M. DC. LXXVI.

Publico Examine sistit

CHRISTOPHORUS MAZARIUS,
Rewuczâ Hungarus.

IN AUDITORIO MAJORI.



WITTEBERGÆ Literis JOHANNIS WILCKII.

INCLYTÆ, LIBERÆ, IMPERIALISQVE
REIPUBLICÆ

LUBECENSIS,

ORDINIS ECCLESIASTICI universi

Luminibus,

VIRISQVE DEI,

MAXIME REVERENDIS, EXCELLENTISSIMIS,

AMPLISSIMIS, CLARISSIMIS,

DN. DN. DN.

SUPERINTENDENTI,

PASTORIBUS,

SYMMYSTIS,



054592 DE

Ecclesiis, quæ ibidem Christo colliguntur, præclarè
meritis, & adhucdum merentibus.

Dominis PATRONIS literarum, Promotori studio-
rum in & extra Hungariam fidelissimo, Exulum pro Christo Susceptori-
bus munificentissimis, devoteqve semper suscipiendis,

Hoc *ἀναμνηστικόν* Academicum

Cum voto temporalis æternæque beatitudinis

D. D. D.

CHRISTOPHORUS MAZARIUS, Hung. R.
Parentis ad Triremis pro veritate Jesu damnati,
dubia facta deplorans.

D E
PECCATO VENIALI ET
MORTALI.

THESIS I.

I.

Discrimen peccatorum, quo dicuntur alia venialia, alia *vid. B. D. Rom*
Loj. Sol. P. 1. p.
mortalia, non est *internum*, sed *externum*, non ex natura
rei, vel peccati, sed ex statu peccatoris, vel *subjecti petita.*

2. Probatur hoc (1) quia ratione nominis utrumque,
tum *venale*, tum *actuale*, veri nominis est peccatum, adeoque dici
requirit inesse; vel ipsum esse. (2) quia ratione definitionis tum
veniale, tum *actuale* dicitur *aveuia* 1. Joh. III. 4. jam autem omnis
aveuia damnabilis est. (3) quia, ut alibi demonstratum, hac distin-
ctio peccatorum instituitur non ratione *sui*, sed ratione *nostri*,
non ratione *propriae formae*, sed ratione *communis personae*, non quo-
ad *internam*, sed quo ad *externam conditionem*, non quo ad *essenti-*
am, sed quo ad *existentiam*, non ratione *objecti*, sed ratione *subjecti*,
non ratione *legis*, sed ratione *Evangelii*, non ratione *peccati*, sed
ratione *peccantis*, non ratione *status absoluti*, sed ratione *status re-*
lativi, non ratione *naturae*, sed ratione *gratiae*, non in *semetipso*, sed
in *Christo*, non quo ad *corruptum actum*, sed quo ad *gratiosum even-*
tum, non *per se*, sed *per aliud*, vel *per accidens*, non quo ad *ratio-*
nem, sed quo ad *revelationem*, non ratione *facti*, sed ratione *fi-*
dei &c.

Antithesis

I. Antithesis est *Papistarum*, apud *Bellerm.* lib. I. de amiss.
grat. c. 3. ubi scribit quod peccata tripliciter sint venialia (1) a causa
quod ex ignorantia vel ex infirmitate committitur quod genus pec-
cati non dicitur veniale, ut distingvatur contra quocunque mortale,
sed contra peccatum *mortale* ex malitia. Tamen enim peccata ex
ignorantia, vel infirmitate, saepe sunt mere mortalia, tamen dicuntur
omnia venialia, quia est in eis aliquid imminuens culpa peccati.

A

G ratio-

Et ratione cuius is, qui peccavit, vicinior est indulgentia &c: (2) ab eventu, quod per penitentiam expiatur &c. (3) ex natura sua, & ratione peccati, quæ non sunt contraria charitati DEI & proximi, quæq; proprie & absolute mortalibus opponuntur. De venialibus primi & secundi generis nulla controversia est &c: de venialibus tertii generis est tota questio. Quæ venialia rursus in duo genera dividuntur. Alia enim dicuntur venialia ex genere suo, alia ex imperfectione operis. Venialia ex genere suo dicuntur ea, quæ habent pro objecto rem malam & inordinatam, sed quæ charitati DEI, vel proximi, non repugnet, quæ est verbum otiosum, risus nimius, & alia id genus: & his contraria sunt peccata mortalia ex genere suo, ut perjurium, adulterium, & similia, quæ aperte cum charitate DEI, vel proximi, pugnant. Venialia ex imperfectione operis ea sunt, quæ tametsi ex genere suo mortalia esse possunt, tamē ob imperfectionē operis venialia efficiuntur, quia vid. sola imperfectio operis facit, ut cū charitate pugnare nō iudicetur. His verō contraria sunt mortalia ex parte agentis, quæ quidē ex genere suo venialia esse potuissent, & tamen ex dispositione quædam peccantis mortalia sunt, tale peccatū esset, si quis a deo delectaretur otiosis confabulationibus, ut paratus esset in iis tempus conterere, etiam cum ex divino præcepto aliquid aliud ei necessario faciendum incumberet. Rursus peccata venialia ex imperfectione operis in duo membra secari solent. Alia enim dicuntur venialia ex subreptione, alia ex pravitate materia. Ex subreptione dicuntur ea, quæ non sunt perfecte voluntaria, quales sunt subiti motus cupiditatis, ira, invidentia, & alii similes, qui prius in animo existunt, quam ratio plane deliberare potuerit, essent, nec ne admittendi; qui quidem & peccata sunt, cum preveniri, aut continuo repelli potuissent, si ratio vigilasset, & tamen venialia sunt, cum pleno voluntatis assensu caruerint. Ex Materia pravitate dicuntur ea, quæ in re parva ac levi committuntur, quæ esset furtum unius oboli, quod neque proximum notabiliter lædit, neque ejusmodi est, ut apud æquos homines amicitiam tollere queat. Hæc omnia Bellarminus postea per multa capita prolixè defendere conatur.

2. Verum dist. inter iudicium soli, & poli, rationis, & revelationis, hominis, & Dei &c. juxta phantasiam & a sensibus, vel etiam non sensibus humanam, tale quid dicitur, sed juxta revelationem divi-
nam

etiam minimè conceditur. *Dist. inter reatum ipsum, & reatus gradum*: facile largimur, quod non unus sit peccati, vel etiam reatus gradus, quod tamen non eo est accipiendum, quasi prorsus nullus in peccatis venialibus sit reatus.

Thesis II.

1. *Venialia peccata*, quatenus peccata sunt, eatenus omnino divinæ voluntati, divinæ justitiæ, divinæ legi, contraria sunt, & eorum respectu homines legaliter, & moraliter neq; *justi* dici possunt.

2. Probatur 1) *quia venialia quoq; peccata sunt a viciis*, I. *Job. III 4* dum omne peccatum a viciis revera dicitur: quicquid autem a viciis, juxta sensum Apostolorum, illud revera dicitur & *justitiæ*, & legi divinæ contrarium. (2) *quia venialia quoque peccata remissione habent opus*, cum sancti pro remissione peccatorum quotidie Deum invocare necessum habeant *Psal XXXII 6*. & in *Oratione Dominica* semper orant *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*, jam autem, quicquid remissione opus habet, illud certe neq; *justitiæ*, neq; legi divinæ consentaneum. (3) *quia Patres idem nobiscum fatentur*, sicut ipse *Bell. lib. 1. de amiss. grat. c. 5*, talia testimonia producit, ex quibus unum modo saltem adducimus. *Cyprian. de Eleem. Si autem nemo esse sine peccato potest, & quisquis se inculpatum dixerit, aut superbus, aut stultus est, quam necessaria, quam benigna est clementia divina, quæ cum sciat non deesse sanctis quædam vulnera postmodum, dedit curandis denuo, secundisq; vulneribus remedia salutaria.*

Antithesis.

1. *Antithesis est Papistarum in Concil. Trident. sess. 6. cap. 11. Licet in hac mortali vita, quantumvis sancti & justi in levia, saltem & quotidiana, quæ etiam Venialia dicuntur, peccata quandoq; cadant, non propterea desinunt esse justis. Nam justorum illa vox esse humilis & verax, Dimitte nobis debita nostra. Bellarm. l. d. §. ad Alterum. Ex divinis literis*

averte convincitur, esse peccata quædam (de Venialibus autem loquitur) quæ cum iustitia & sanctitate non pugnent.

2. Verum dist. inter justum fide, & opere: peccata venialia non sunt iusta, sed in iustis, non abstractivè sunt iustitia, licet concretivè cum iustis jungantur. Hinc dist. inter peccata, & inter peccatores, peccata venialia cum iustitia legali pugnant, sed in iustis, Evangelicè talibus, peccata venialia reperiuntur.

Thesis III.

1. Venialia peccata, quod naturam suam, à Deo veram aversionem inferunt, & charitatem vel Dei, vel proximi, contra Dei legem lædunt.

2. Probatur hoc (1) quia peccatum omne dicitur aversio à Deo; nam vel est aversio à Deo, vel est conversio ad Deum: tertium enim non datur: jam autem veniale peccatum minime dicitur ad Deum conversio, cum ejusmodi conversio demum peccatum veniale per veram penitentiam sequatur: manet ergo, quod sit aversio à Deo. (2) quia peccata venialia revera peccata sunt, juxta, Bellarm. d. l. c. 10. jam autem nullum peccatum aliter se habet, quam ut à Deo homines avertat [3] quia peccata venialia opus habent remissione, sicut idem habet Bellarm. d. l. quod Peccata venialia vere peccata sint, & remissione indigeant.

Antithesis.

1. Antithesis est Papistarum apud Bellarm. d. l. cap. 11. ubi ex Thoma 1. 2. quæst. 87. art. 5. & 3. part. quæst. 86. art. 4. scribit, peccatum veniale ex natura sua non ponit in homine aversionem à Deo, cum non repugnet charitati, ut perspicuum est. c. 14. S. Respondeo: peccatum veniale non habet malitiam infinitam, cum non avertat hominem à Deo summo atq; infinito bono.

2. Verum dist. inter veniale peccatum ratione nature sue, & ratione gratie divine; veniale peccatum quidem in se veram à Deo aversionem infert, ex gratia vero divina conservationi

tionis homo, venialiter peccans, non à DEO penitus avertitur.
Dist. inter veniale peccatum ratione $\Phi\upsilon\sigma\iota\omega\varsigma$, vel $\pi\epsilon\gamma\chi\epsilon\upsilon\varsigma$, & in-
ter idem ratione $\pi\iota\sigma\tau\omega\varsigma$; priori respectu nihil aliud est, quam
aversio à DEO, posteriori modo per veram penitentiam homo
revertitur, & fide. quoad regenerationem, à DEO non avertitur.
Dist. inter aversionem ratione peccati, & ratione *subjeti*: quoad
peccatum vera fit aversio, sed quoad *subiectum fide* manet conversio.

Thesis IV.

1. Peccatum veniale non est, vel dicitur, ideo veniale, quod
venia sit dignum, aut quod veniam ex natura sua, sed quod eam
aliunde consequatur.

2. Probatur (1) quia venia nihil aliud est, quam remissio
peccatorum, quæ certe non est peccati, sed potius alius cujusdam
principii. (2) quia venia potius dicitur principaliter solius esse
DEI, qui solus peccata remittere potest *Matt. IX. 3. Marc. II. 17.*
(3) quia venia sequitur peccatum commissum, cum nulla sit,
vel locum habere possit, venia, nisi peccatum ubi præcesserit: Est
igitur venia consequens peccati: si consequens est peccati, sequitur,
quod vel sit internum, vel externum, vel essenziale, vel accidentale,
vel naturale, vel supernaturale: si consequens est internum, vel
essentially, sequitur, quod omni competat peccato, quod falsissi-
mum: consequens autem internum, essenziale dicitur proprium,
quod omni, soli & semper comperit: hoc autem minime dicen-
dum est, cum scriptura, veritas ipsa, communis experientia, con-
trarium testetur: manet igitur, quod sit externum & accidentale:
neque tamen est naturale peccato, cum peccatum potius iram,
quam veniam, potius indignationem, quam commiserationem, po-
tius inimicitiam, quam amicitiam, potius penam, quam gratiam
&c: mereatur.

Antithesis.

1. Antithesis est Papistarum apud Bellarm. l. I de amiss.
grat. & stat. peccat. c. II. §. Secundum argumentum: Veniale
(peccatum) dicitur, quod est venia dignum, sive in quo aliquid est,
cur mitius puniri debeat. Sandeus in castigat. conscient. Jesuit.

p. 134. Peccatum veniale est, quod venia dignum est, seu quod habet aliquid in se, cur mortem animae non mereatur, vel adferat.

2. Verum dist. inter propriam veniam, & mitiorem penam: hæc duo diversissima sunt, venia dignum esse, & mitius puniri, quæ tamen pro *ἰοῦ ἰωαννουσ* Bellarminus venditat. Dist. inter iudicium soli. & poli; Pontificii iudicium desumunt ex iudicio fori, non poli. Recte proinde scribit Sixtus III. Episcop. Roman. de malis doctoribus & operibus fidei tom. 5. Bibl. sanctæ Col. 826. Nolo tantum consideres, quid præceptum sit, sed A QVO præceptum sit. Neque quale sit mandatum, quod pro nihilo iudicas spernendum esse, sed cuius sit, Omnipotentis DEI scilicet, qui se in præceptorum suorum qualitate, aut honorari ducit, aut pro nihilo computari.

Thesis V.

1. Peccatum veniale non tantummodo præter legem divinam est, sed etiam contra legem divinam, non tantum secundum quid, sed etiam simpliciter, non tantum imperfecte, sed etiam perfecte peccatum.

2. Probatur (1) quia veniale peccatum est *ἀκούει* I Joh. III. 4. *ἀκούει* verò, juxta sensum Apostolicum, est *ἀίτιον*. (2) quia, juxta Thomam, p. 3. q. 88. art. 4. in omni peccato DEUS contemnitur in suis præceptis, quod ibidem ex August. lib. de natura & grat. c. 29. adducitur. (3) quia veniale peccatum, & mortale, specie non differunt, sicut disputat Thom. 1. 2. art. 5. ubi probat hanc conclusionem: Cum in peccatis reatus per accidens fiat ex parte ipsius peccantis, non potest differentia venialis & mortalis peccati, vel alia quæcumque, penes reatum sumpta, peccatorum species distinguere. Dicendum ergo, pergit, quod differentia venialis & mortalis peccati, vel quæcumque alia differentia, quæ sumitur penes reatum, non potest esse differentia, constituens diversitatem speciei: nunquam enim id, quod est per accidens, constituit speciem; id autem, quod est præter intentionem agentis, est per accidens 2. Phys. 1. 50. Manifestum est autem, quod pena est præter intentionem

tentionem peccantis, unde per accidens se habet ad peccatum ex parte ipsius peccantis. Ordinantur tamen ad peccatum ab exteriori, scilicet ex iustitia judicantis, qui secundum diversas conditiones peccatorum diversas penas infligit: unde differentia, quae est ex reatu pena, potest consequi diversam speciem peccatorum, non autem constituit diversitatem speciei: differentia autem peccati venialis & mortalis consequitur diversitatem inordinationis, quae complet rationem peccati. Duplex enim est inordinatio, una, per subtractionem principii ordinis; alia, quae etiam salvato principio ordinis, fit inordinatio circa ea, quae sunt post principium &c.

Antithesis.

Antithesis est Papistarum apud Bellarm. l. i. de amiss. grat. & stat. peccat. c. ii. §. Quintum: Peccatum non dicitur univoce de Mortali & Veniali, sed per analogiam quandam: & proinde peccatum veniale non est perfecte peccatum, sicut mortale, sed imperfecte, ut recte docent Albert. S. Bonaventura, & alii in 2. sent. dist. 42. & S. Thomas in 1. 2. quæst. 88. art. i. ad 1. Igitur non debetur ei pena mortis aeternae, quae est simpliciter & perfecte pena, vel potius penarum omnium gravissima. Antecedens hujus argumenti, quod solum in controversiam venire potest, hac ratione probo: Ad peccatum constitutum duo potissimum requiruntur, ut sit voluntarium, & contra legem: peccatum autem veniale omne, aut non est perfecte voluntarium, aut non est perfecte contra legem: igitur nullum est veniale peccatum, quod perfecte & simpliciter sit peccatum, sed imperfecte, & secundum quid. Vid. ibidem plura.

2. Verum dist. inter analogum verum, & apparens, quoad esse, & quoad dici. Bellarminus statuit univoce peccatum non dici de Mortali & veniali, sed contra Johannes Major in 2. sent. dist. 42. peccatum asserit dici de veniali & mortali univoce, ut animal de homine, esseq; contra legem DEI utrumque: huc pertinet illud, quod ex Thoma jam fuit adductum, quod mortale peccatum, & veniale, non differant specie, sed consequente, non essentiali statu sed

sed *accidentali reatu* &c: Dist. inter *sententiam certam & vagam*:
si nonnulli *Papistarum* affirmant, *Veniale peccatum* saltem esse
præter, non *contra legem* D & I. sunt alii, qui diversum ab his sta-
tuunt, *peccatum veniale* non esse *præter*, sed *contra legem*. V. f.
quetz in Thom. 1. 2. Disp. 143. c. 4. num. 8. Negari non potest,
peccatum veniale esse *contra aliquod præceptum legis*. Josephus
Angles in 2. sent. dist. 37. q. 3. dist. 4. Durandus, & alii, *sententi-*
am Thomæ impugnant, qua tenetur: *peccata venialia* esse *contra*
mandata. Et hæc opinio videtur multo in *Scholis* communior.
Conclusio. *Veniale peccatum* esse *contra legem*.

Thesis VI.

1. *Peccatum veniale* dicitur ideo, quia DEUS illud ad
peccatum non imputat, sed ex *miseriordia* *veniam* illi deputat, &
gratis propter Christum illud condonat.
2. Probatur hoc (1) quia beati dicuntur, quorum iniqui-
tates sunt remissæ, & quorum peccata non sunt imputata *Psal.*
XXXII. 1. (2) quia, sicut è præcedentibus liquet, neque *specie*,
neque *natura*, peccata *venialia* cum *mortalibus* differunt: jam
ubi datur eadem *causa*, ibi datur idem *effectus*, & ubi *verum p-*
ccatum, ibi *verum* obtinet *reatum*. (3) quia *Pontificii* saniores
idem testantur. Gerson part 3. de vita Spirit. anim. lect. 1. *Omne*
peccatum, pro quanto est *offensa DEI*, & *contra legem* ejus *eter-*
nam, est de sua *conditione* & *indignitate* *mortiferum*, secundum
rigorem *justitiæ*, & à *vita gloria* *separativum*. Ratio est, quia
omnis *offensa in DEUM* potest *juste* ab ipso *judice DEO* puniri
pæna *mortis*, tam *temporalis* quam *eterna*, imò *annihilationis* *pæna*.
Est igitur de se *mortifera*. Assumptum deducitur ex hoc, quod nulla
pæna *talis* est ita mala quam mala est ipsa *offensa*. Et ex alio,
quia potius toleranda esset *omnis* *mors* *pænalis* & *annihilatio*, quam
committenda esset *quantumlibet* *parva* *offensa in DEUM*. De
oppositum, jam *offensa DEI* licite fieri deberet in *casu*. Præterea
qualibet *offensa DEI*, nisi remitteretur, repelleret à *gloria DEI*,
pre-

perpetuo & absque termino puniretur alioquin manere dedecus culpa sine decore justitiae. Quod autem offensa dimittitur, aut remittitur, est ex pura liberalitate DEI remittentis, & non amplius imputantis. Item Corollar. 1. Nulla offensa DEI est venialis de se, nisi tantummodo per respectum ad divinam misericordiam, quae non vult de facto quamlibet offensam imputare ad mortem, cum illud possit justissime. Et ita concluditur, quod peccatum mortale & veniale in essentiali non distinguantur intrinsece & essentialiter, sed solum per respectum ad divinam gratiam, quae peccatum istud imputat ad poenam mortis, & aliud non. Azorius lib. 4. Instit. Moral. c. 8. Dicitur veniale potius, quod venia dimitti soleat semper in justis; dimittitur autem à DEO, qui non imputat reatum.

Antithesis.

1. Antithesis est Papistarum apud Bellarm. l. d. §. Secundum: Si proprie loqui velimus, non ideo peccatum aliquod est veniale, quia DEUS illud ad reatum mortis aeternae non imputat, sed ideo DEUS ad reatum mortis aeternae non imputat, quia veniale est. Veniale siquidem dicitur, quod est venia dignum, sive in quo aliquid est, cur mitius puniri debeat.

2. Verum dist. inter veniale per se, & per accidens: peccatum veniale dicitur non per se, sed per accidens, non secundum naturam suam, sed secundum gratiam divinam, prout ex Thoma non tantum, sed etiam ex aliis Papistis notavimus. Dist. inter veniale κατὰ φύσιν, & κατὰ χεῖρον, posteriori, non priori sensu, peccata venialia dicuntur.

Thesis VII.

1. Nullum peccatum extra Christum absolute, vel coram DEO est veniale; vel à DEO fit veniale, nisi per fidem in Christum.

2. Probatur hoc (1) quia Christus solus est Agnus, qui tollit peccata mundi Job. I. 29. (2) quia si quis peccaverit, ipse solus noster Advocatus coram Patre, vel etiam propitiatio pro peccatis nostris dicitur I. Job. II. 1. 2. (3) quia non est aliud nomen sub caelo datum, in quo salvari nos oporteat Act.

B

IV.

IV. 12. adeoque non datur extra Christum salus, nulla delictorum venia, nulla peccatorum remissio. (4) quia nihil est vel condemnationis, vel accusationis in iis, qui sunt in Christo Jesu Rom. IIX. 1.

Antithesis.

1. *Antithesis* est Socinianorum apud ipsum Socin. in Explic. cap. V. Matth. p. 3. ubi distingvit inter peccata, ex Superbia, & ex ignorantia, incogitantia &c: commissa, & quod citra respectum ad Christum, Christiq; meritum, illis nulla, his vera divinitus concedatur venia: Ubi, scribit, est animus coram DEO plane demissus, sunt etiam alia omnia laudabilia, quae DEUS à nobis requirit, abestq; homo, qui tali animo fuerit praeeditus, ab eo genere peccatorum, quibus DEUS VENIAM DARE NON SOLET: Sed si quid tamen peccat, ex ignorantia, vel incogitantia, vel etiam ex simplici humana fragilitate id facit, cujusmodi peccatis facile à DEO VENIA CONCEDI SOLET.

2. Verum dist. inter humilitatem ex fide in Christum profectam, & fide in Christum destitutam; illa probatur, haec in praesenti negotio minime conducere coram DEO potest. Dist. inter veniam respectu fidelium, vel regenitorum, & inter veniam respectu infidelium, vel irregenitorum; illam concedimus, sed in Christo, hanc extra Christum concedere minime possumus.

Thesis IIX.

1. Peccata venialia sunt equidem coram hominibus non adeo magni momenti, & in iudicio vel civili, vel morali, pro levibus & exiguis haberi videntur, sed coram Deo satis enormitatis, & deformitatis, habere deprehenduntur.

2. Probatur hoc [1] quia sunt à voluntate, legiq; divinae contraria. [2] quia Dei veritatem & sanctitatem non modo, sed etiam ejus autoritatem & majestatem violare dicuntur. (3) quia propterea venialia quoque peccata sunt laesae divinae majestatis crimina (4) quia idem testatur Anselm. in lib. de miser. hominis: forsitan parvum quid putas peccatum aliquod. Utinam distinetus iudex parvum existimaret aliquod peccatum! Sed heu me! nonne omne peccatum per praevaricationem DEUM exho-

exhonorat? Quid ergo peccatum peccator audebit dicere par-
vum? O lignum aridum & inutile aeternis ignibus dignum, quid
respondebis in illa die, cum exigetur à te usque ad nictum oculi o-
mne tempus vite tibi impensum, qualiter fuerit à te expensum!
Tunc quippe condemnabitur, quicquid inventum fuerit in te ope-
ris, vel otiosi sermonis, & silentii, usq; ad minimam cogitationem,
etiam quod vixisti, si non fuerit ad DEI voluntatem directum.
Va, quot peccata ibi proruent ex improvise, quasi ex insidiis, quæ
modo non vides. Certè plura, & fortassis terribiliora his, quæ
nunc vides. Et quæ non esse mala putas, & quæ nunc esse bona
credis, nudata facie ibi apparebunt nigerrima peccata.

Antithesis.

1. Antithesis est Papistarum apud Bellarm. l. d. c. 10. §.
Præter hæc: ubi censet, quod venialia peccata sint ex sententia
Patrum levisima, minuta &c. Item venialia peccata esse minima,
quia qualitate & qualitate sint minima. Ibid. §. S. Augustinus:
Videmus, venialia peccata, quæ justitiam non auferunt, vel ideò
talia esse, quia in re levissima consistunt, vel quia obrepunt incautis.
Proinde ratio, cur peccatum aliquod sit veniale, non est, quia non
imputatur, licet imputari possit, sed quia in re levissima consistit,
ut in verbo otioso, in risu nimio in joco supervacaneo, vel quia ob-
repat incautis, ut evagatio mentis tempore orationis.

2. Verum dist. inter judicium humanum, & divinum, li-
cet ex judicio humano levisima dicantur, tamen hoc non fit ex
judicio divino. Dist. inter statum absolutum, & comparativum:
licet in comparatione ad graviora, vel gravissima peccata videan-
tur exigui momenti, tamen ratione sui, vel etiam ratione DEI
loquendo, quoad absolutam à viciis considerationem, minima
non sunt. Hinc ipse Bellarm. concion. 3. de Cruciat. Gehnen.
circa init. sic differit: Quamlibet culpam, in DEUM commissam,
scelus esse tam immane, ut de pena ei culpa debita, jure optimo di-
cere possimus: Oculus non vidit, auris non audivit, in cor homi-
nis non adscenderunt supplicia & tormenta, quæ preparavit DE-
US offendentibus se. Rationem autem hanc addit: Si offensionis
magnitudinem ipsius offensi dignitate ac nobilitate metiri oportet,
certe peccatum, quod infinitam dignitatem, nobilitatemque ledit,
malum infinitum atque immensum erit. Videat, quomodo se-

cum ipse consentiat, dum *lib. 1. de amiss. grat. c. 14.* disertis verbis in genere negat ad alter. *object. peccatum veniale malitiam infinitam habere.*

Thesis IX.

1. *Peccatum veniale non in se macula tantum est, sed etiam in anima hominis maculam causat.*
2. *Probatur hoc (1) quia peccatum omne dicitur ἀκαθάρσια, vel immundities, etiam internum Matt. XXIII. 27. Conf. I. Thes. II. 3. c. IV. 7. quia peccatum omne suum ortum habet ab immundo Spiritu, qui propterea vocatur ἀκάθαρτον πνεῦμα Matt. X. 1. XII. 43. & c. (3) quia omnis nostra justitia dicitur instar panni menstruata, Esa. LXIII. 10. (4) quia veniale quoque peccatum homines enormes, & coram DEO deformes reddit. Hinc ipse Thomas in 1. 2. c. 89. ad 1. introducit illud Augustini lib. de medin. pænit. circa med. quod peccata venialia, si multiplicentur, decorem nostrorum ita exterminent, ut caelestibus sponsi amplexibus nos separent. Addit ipse, quod macula nihil aliud sit, quam detrimentum decoris.*

Antithesis.

1. *Antithesis Papistarum est apud Thomam d. 1. ubi probat hanc Conclusionem, Peccatum veniale, cum non tollat habitum charitatis, neque aliarum virtutum, sed magis impediatur actus illarum, non inducit maculam in anima, nisi in quantum nitorem, qui ex virtutum actibus, impedit. Dicendum, pergit, quod macula importat detrimentum nitore ex aliquo contactu, sicut in corporalibus patet, ex quibus per similitudinem nomen macula ad animam transfertur. Sicut autem in corpore est duplex nitor, unus quidem ex intrinseca dispositione membrorum & coloris: alius autem ex exteriori claritate superveniente: ita etiam in anima est duplex nitor. Unus quidem habitualis, quasi intrinsecus, alius autem Actualis, quasi exterior fulgor. Peccatum autem veniale impedit quidem nitorem actualera, non tamen habitua-lem: quia non excludit, neque diminuit habitum charitatis, & aliarum virtutum, sed solum impedit earum actum: macula autem importat aliquid manens in re maculata: unde magis vide-*

sur pertinere ad detrimentum habitualis nitore, quam actualis. Unde proprie loquendo peccatum veniale non causat maculam in anima. Et si alicubi dicatur maculam inducere, hoc est, secundum quid, in quantum impedit nitorem, qui est ex actibus virtutum.

2. Verum dist. inter maculam externam, & internam, coram mundo, & coram DEO, habitualem & actualem, naturalem, & preternaturalem, permanentem & transeuntem &c. non illa, sed hac, intelligitur, quæ eitra dubium animæ peccatoris imprimitur. Dist. inter sublationem in tantum, & in totum: multa peccata venialia tollunt omnino charitatis & virtutis habitum, si non in totum, respectu fidelium, tamen in tantum respectu ipsorum habituum.

Thesis X.

1. Hominum infidelium primi, vel interni motus ne utriusquam inter peccata venialia recenseri possunt.

2. Probat hoc (1) quia homines infideles fide destituuntur, sine fide verò dicitur impossibile placere DEO Heb. XI. 6. Jam qui Deo nullo modo placent, illis etiã veniam non concedit, adeoq; primi motus ipsorum ad peccata venialia referri non possunt. (2) quia primi motus infidelium secundum naturam corruptam fieri dicuntur: jam autem infideles natura sunt ira Filii Ephes. II. 3. sed ubi datur ira, ibi nō datur gratia, nec ullā conceditur venia.

Antithesis.

1. Antithesis est Papistarum apud Thomam 1. 2. quæst. 89. art. 5. Primos motus infidelium, nisi eis consentiant, non esse peccata mortalia, concludit. Et probat hanc conclusionem: Dicendum, quod irrationabiliter dicitur, quod primi motus infidelium sint peccata mortalia, si eis non consentiant, & hoc patet dupliciter, primo quidem, quia ipsa sensualitas non potest esse subiectum peccati mortalis. Est autem eadem natura sensualitatis in infidelibus & fidelibus, unde non potest esse, quod solus motus sensualitatis in infidelibus sit peccatum mortale. Alio modo ex statu ipsius peccantis: nunquam enim dignitas personæ diminuit peccatum, sed magis auget: unde nec peccatum est minus in fidei, quam in infidei, sed multo majus. Nam & infidelium peccata magis merentur veniam propter ignorantiam, secundum illud 1. Tim. 1. Misericordiam DEI consecutus sum, qui ignorans feci in

ei in incredulitate mea, & peccata fidelium aggravantur propter gratia sacramenta, secundum illud. Heb. 10. Quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui sanguinem Testamenti, in quo sanctificatus est, pollutum duxerit.

2. Verum dist. inter veniale sensu Ethico, & sensu Theologico, coram hominibus, & coram DEO, in foro externo, & interno, quoad priores respectu venialia peccata sunt ejusmodi primi, vel interni motus, sed quoad posteriores respectus, non tam ad venialium, quam ad mortalium peccatorum classem illi referendi sunt. Dist. inter judicium humanum, & divinum, civile & spirituale: quoad civile judicium sensualitas pro peccato mortali haberi neque potest, neque debet, sed quoad spirituale, sive divinum judicium omnino peccati mortalis censuram admittit.

Thesis XI.

1. Solus homo peccati venialis est proprium & adequatum subjectum, ad angelos vero sive bonos, sive malos, peccatum veniale referri nequit.

2. Probatur hoc (1) quia solus homo peccator in gratiam receptus est à DEO, per quam gratiam ipsi venia contingere potuit. (2) quia solis hominibus Christus missus est: non enim angelos, sed Abrahamæ semen assumpsit, Heb. II. 16. jam autem per solum Christi meritum venia peccatoribus conceditur. (3) quia verbum promissionis, per quod tantummodo venia dispensatur peccatoribus, solis hominibus revelatum. (4) quia Thomas I. 2. q. 89. art. 4. scribit: Major est perfectio angelis, quam perfectio hominis in primo statu: sed homo in primo statu non potuit peccare venialiter. Ergo multo minus angelus. Adde insuper hanc Conclusionem: Quoniam boni angeli in gratia confirmati sunt, nullo modo peccare possunt: mali autem, & in malitia sua obstinati (quia quicquid eligunt, ad finem indubitum eligunt, nim. ad superbiam suam) non venialiter, sed mortaliter in omnibus, quacunque propria voluntate agunt, peccant. Vid. plura d. l.

Antithesis.

1. Circa sententiam contrariam Thomas d. l. dubia tria producit: Videtur, quod angelus bonus, vel malus, possit peccare venia-

venialiter. (1) Homo cum angelis convenit in superiori anima parte, quae Mens vocatur, secundum illud Gregor. in Homil. ascens. quae est 29. homil. in Evangelia: Homo intelligit cum angelis: sed homo secundum superiorem partem anima potest peccare venialiter: Ergo & Angelus. (2) Quicumque potest, quod est plus, potest etiam, quod est minus: sed angelus potuit diligere bonum creatum, plus quam DEUM, quod fecit peccando mortaliter: Ergo etiam potuit bonum creatum diligere infra DEUM inordinate, venialiter peccando. (3) Angeli mali videntur aliqua facere, quae sunt ex genere suo peccata venialia, provocando homines ad risum, & ad alias huiusmodi levitates: sed circumstantia persona non facit de veniali mortale, nisi speciali prohibitione superveniente, quod non est in proposito. Ergo angelus potest peccare venialiter.

2. Verum dist. inter convenientiam in tantum, & in totum, ratione intellectus, & ratione actionis, item quoad actus substantiam, & quoad actus consequentiam: quod peccatum aliquod veniale dicitur, illud nec est essentia, nec potentia, nec intelligentia, sed potius peculiaris consequentia, cum venia sequatur ex gratia Dei peccaminosum actum, ne utique autem actus substantiam ingrediatur. Dist. inter illud, quod scripturis divinis, & quod hypothesebus papisticis nititur: haec assertio, quod venialiter Diaboli, vel angeli mali peccent, nititur falsa Papistarum hypothese, quasi per naturam suam aliquod peccatum sit veniale, sed hoc jam superius est refutatum. *Thesis XII.*

1. Veniale peccatum potest in aliquo subjecto esse cum solo originali peccato.

2. Probatum hoc (1) quia nihil est vel accusationis, vel condemnationis in iis, qui sunt in Christo Jesu Rom. IIX. 1. Ergo nihil etiam peccaminosae praevagationis actualis in iis aliquando datur, quod fieri potest in fidelibus dormientibus, aut actu remissionem peccatorum per fidem obtinentibus, & possidentibus, in quibus actualia peccata, tanquam transitoria, non reperiuntur, originale peccatum tamen habitualiter permanere dicitur. (2) quia baptisati infantes originale peccatum retinent, neque tamen statim vel in baptismo, vel post baptismum

juxta

juxta Papistas, actualiter peccare dicuntur. (3) quia, juxta Papistas, multi sancti vivunt absq; peccatis actualibus, si non omni, tamen aliquo tempore, quibus tamen revera competit originale peccatum: sic igitur in his omnibus ipsum peccatum originale veniale dicitur, vel etiam veniale peccatum cum originali peccato solo consistere videtur.

Antithesis.

1. *Antithesis est Papistarum apud Thomam 1.2.q.89. art.6. ubi negat hoc, quia pro peccato originali puniuntur homines in limbo puerorum, ubi non est pena sensus; in inferno autem detruduntur homines propter solum peccatum mortale. Ergo non erit locus, in quo possit puniri ille, qui habet peccatum veniale cum originali solo. Conclusionem hanc addit: Cum defectus aetatis, prohibens rationis usum, a mortali excuset, multo magis a veniali excusare credendus est: unde fieri non potest, ut peccatum veniale sit in aliquo cum solo originali absq; mortali. Dicendum est, pergit, quod impossibile est, quod peccatum veniale sit in aliquo cum originali peccato absq; mortali. Cujus ratio est, quia antequam ad annos discretionis perveniat defectus aetatis, prohibens usum rationis, excusat eum a peccato mortali: unde multo magis excusat eum a peccato veniali, si committat aliquid, quod sit ex genere suo tale: cum vero usum rationis habere inceperit, non omnino excusatur a culpa venialis & mortalis peccati: sed primum quod tunc homini cogitandum occurrit, est deliberare de seipso, & siquidem seipsum ordinavit ad debitum finem, per gratiam consequitur remissionem originalis peccati. Si vero non ordinet seipsum ad debitum finem secundum quod in aetate est capax discretionis, peccabit mortaliter, non faciens, quod in se est, & ex tunc non erit in eo peccatum veniale sine mortali, nisi postquam totum fuerit sibi per gratiam remissum.*

2. *Verum dist. inter panam fictam, & veram: pena, quae dicitur in limbo puerorum infligi, vere sumentum est Papistarum, non assertum sacrarum literarum. Dist. inter subjecta regeneratorum, & irregeneratorum, in irregeneris non datur veniale cum solo originali, sed in regeneris omnino reperitur.*

Sunt peccata favore Dei Venialia nobis,
Dum propter Christum rite remissa cadunt.
Ast in se nullum crimen veniale, sed omne
Peccatum damnat, quum premittit ira DEI.
Talia nunc repetis verbo, DOCTISSIME MAZAR,
Perge DEUS Studiis his favet usque piis.

JOHANNES Deutschmann / D.



Unus labes totum penetravit in orbem;
Unius labes exulat omnis ope.
Cur igitur, Mazar dilecte, mihi capis arma?
Cur hostem metuis? mortuus ecce jacet!
Hanc tamen Archiduci placuit praescribere legem
Ne sit miles iners, sed pia bella gerat,
Laudo pios igitur conatus, Vota precesq;
Conjuncto felix Vive, Valeq; bene!

Ita Vover

Tobias MasNICIUS
reDIVIVVS ab NeapOLI.



Crimina discutiens, constantem crimina tanti,
Quod patimur causam, dicis in orbe, mali.
Siccine mortifero sceleris maculata reatu
Prae cunctis populis Pannonia ora fuit?
Siccine qui ferro Vinciti tristesq; triremes
Expertis, poenam promeruerunt gravem?
Est justus Dominus novit cur igne fideles
Explorat; gemitus percipit aure pia.
Liberat afflictum Sodomam ultrix dextra Jehovae
Lothum, solvuntur ferrea Vincula Petri.
Nec Te perturbet tristis fortuna Parentis,
Conspicis ereptos, conspiciesq; Patrem.
Ast, tu summe DEUS faciem converte benignam
Vastatos miserè Pannonios in agros!
Exhilara tristes, prostratos erige, captos
Dispersosq; reduc! advolet alma salus!

JOH. SIMONIDES EXUL REDIVIVUS.

Das

DAs animum meritò in luctus ob *fata gementis*
Patris iniqua Tui,
Non torpere tamen pateris locorde veterinò
Mentem animumq; Tuum,
Quin magis erectus committis *prelia docta,*
Jamq; *tribus vicibus*
Te sistis Doctis de Patris sorte levanda,
Numine propitiò,
Tutò confisus. Quare TIBI pectore grator
Et *meliora* precor
Fata TIBI, Patriq; Tuo, Patriq; relictæ,
Exulibusq; piis.

GEORGIUS Weücker / Neosolio-Hung.
Philos & SS. Theol. Studiosus.

•••••
Docte decus poscis, conscendis pulpita *Mazar.*
Laudes [sic audes] jam cupis, en capias.
Bella moves lavâ ! sed malles juba dextrâ
Conveniunt lepidè bella jubarq; Tibi.

DANIEL ROXER. Hung.

•••••
HActenus atra, diu tenuerunt nubila, mentem,
Ob cari Patris, tristia fata tui.
Non tamen æternis vexat sors dira, tenebris,
Vertit at in claram, nubilia nigra diem
Atq; novis splendet radiis optatus Apollo
Et vultum fato prosperiore beat.
Dum à diris, recreat Patris dimissio, transtris.
Dum cathedram scandis laude perenne nites,
Ut de peccato veniali docta loquaris
Et labor improbus ac ingenium pateat.
Hinc precor ex animo florescat nomen in orbe,
Et studiis doctis præmia digna feras.

CHRISTOPHORUS FRIDERICUS GRATTENAUER,
St. Gott Hard. Hung. SS. Theol. & Phil. Stud.

ng.



ng.



R,

05 A 592


ULB Halle 3
003 762 05X




1077

ad







I. N. J.
DISPUTATIO THEOLOGICA
DE
PECCATO VE-
NIALI ET MORTALI,

QUAM
PRÆSIDE
VIRO MAXIME REVERENDO, MAGNIFICO
AMPLISSIMO, ATQUE EXCELLENTISSIMO,
DN. JOH. DEUTSMANNO,
S.S. THEOL. DOCT. EJUSDEMQUE IN
CELEBERRIMA HAC LEUCOREA PROF. PUBL.
CELEBERRIMO, ELECTORALIUM ALUMNO-
RUM EPHORO GRAVISSIMO,

*DNO. Patrono, Præceptore, Studiorumq; suorum Pro-
motore, omni observantia etatem deve-
nerando,*

Die 20. Jun. A. C. M. DC. LXXVI.

Publico Examine sistit

CHRISTOPHORUS MAZARIUS,

Rewuczâ Hungarus.

IN AUDITORIO MAJORI.



WITTEBERGÆ Literis JOHANNIS WILCKII.